



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. E Gelasio, & Symmacho.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

*cave ne que sunt Ecclesia ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, que sunt Cesaris, Cesaris, & que Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere; neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.* His verbis soli Principi potestas in hac terrena & temporalia imperandi asseritur; ut Ecclesiae, sacra & spiritualia procurandi.

V. Elegantissimè versatur in hoc argumento Gregorius Nazianzenus: cuius oratio, licet saepe Christiano condita, venustate dictionum & sententiarum ornatur. Magistratibus denuntiat duo velut imperia constituta fuisse à Christo in Ecclesia. unum, quod sublimioribus potestatibus creditum est, quibus ut heriservi, maritis uxores, & Ecclesia Christo, parè debent omnes, & tributa pendere, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; alterum verò Episcopis commissum, quod priori dignitate præstat, ut anima corpori, & caelestia terrenis. Vnde patet parem esse utramque potestatem in imperandi jure, sed imparem in mandatorum dignitate; duo esse & distincta imperia, sed nobilitate imparia; quia huic vitæ tranquillitas, illi animarum salus commissa; neutrius verò libertatem ab altera infringendam.

Isidorus Pelusiota ad hunc Nazianzeni locum videtur respexisse, cum sacerdotij & regni discrimen, animæ & corporis differentiam metitur: *Ex sacerdotio & regno, inquit, rerum administratio confusa est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit, (illud enim velut anima est, hoc velut corpus) ad unum tamen & eundem finem tendant, hoc est, ad hominum salutem.* Olim quidem imperium cum sacrorum administratione apud Hebræos & Aegyptios conjunctum fuisse scripsit Synesius; sed deinde à Deo distincta fuisse hæc munera, ita ut rebus sacris unum, alterum imperio tenendo additum esset. *Illi in negotiis, nos in oratione collocati sumus;* ut ille loquitur.

Chrysothomus imperia Principum cum administratione rerum sacrarum ita confert, ut duo principatum genera esse decernat: quorum unum commendat Apostolus, cum sublimioribus potestatibus omnes animas subdi præcipit, alterum verò, cum præpositis obediendum esse suadet. *Iste autem principatus, inquit ille, civili tantò melior est, quanto terrâ cælum, imò & multò magis; & non multa illi cura est de seculari vita, omnia autem de caelestibus rebus pronuntiat.*

VI. Enimvero ne superfluo labore me onerem in citandis ad testimonium auctoribus, consulendus est Gelasius Pontifex, &

ejus Decreto constituendi sunt fines utriusque potestatis. Imperatorem præsidere humano generi dignitate, sed in perceptione sacramentorum Sacerdotibus subdi; legibus Principis, quantum attinet ad ordinem publicæ disciplinæ, parère religionis antistites; sed in erogandis mysteriis, & in caelestibus sacramentis, Principem ordine religionis à Sacerdotum judicio pendere, epistola ad Anastasium Imperatorem definiit Gelasius. Hanc definitionem amplexi sunt Rex, Episcopi, & Proceres Ecclesiae Gallicanæ in Concilio Parisiensi, & in libris Capitularium, eamque Gratianus in Collectione sua retulit. *Duo sunt, inquit, Imperator Augustus; quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in divino reddituri sunt examinationem. Nosti enim, fili clementissime, quòd licet præsidens humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tue salutis expetis, inque sumendis caelestibus sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debent cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc (id est, inter hæc sacramentalia & spiritualia, ne quis hoc loco adversus mentem auctoris abutatur) ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Symmacho certandum fuit cum eodem Anastasio Imperatore, quem communionem excluderat ob Acacij causam. Videamus quo discrimine potestatem utramque distinguit in Apologetico: *Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis: inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu, Imperator, à Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas. Postremo tu humana administras; ille tibi divina dispensat. Itaque, ut non dicam superior, cerè equalis honor est.*

VII. Succedat Gelasio & Symmacho Gregorius II. qui ut sedis apostolicæ ita & doctrinæ heres, ecclesiastica & civilis potestatis limites apertissimis verbis defixit in epistola ad Leonem Isaurum Imperatorem. *Scis, Imperator, sanctæ Ecclesie dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, que tunc debent predicari. Idcirco Ecclesis præfecti sunt Pontifices, à Republicæ negotiis abstinentes; ut Imperatores similiter ab ecclesiasticis abstinent, & quæ sibi commissæ sunt, capessant.* Hoc uberius exequitur in epistola secunda ad eundem Leonem: ubi profitemetur, se Palatii & Ecclesiae, Principum & Pontificum discrimen descripturum. Tum Principi ne-

G

In hoc libro...

Greg. Nazianz. cap. 17.

Isidor. Pelusiota...

Synesius ep. 17.

Chrysoth. hom. 11.

Vide Libellum Marce pro defensione libri de Concordia Sac. & Imp.

Concil. Paris. lib. 1. c. 1. lib. 1. Capitularia c. 167. cap. Duo sunt. dist. 96.

Symmachus in Apolog. adversus Anastas.

Greg. II. ep. ad Leonem, ante septimæ synodi ad episc. Basiliæ, c. 1. c. 2. c. 3. c. 4. c. 5. c. 6. c. 7. c. 8. c. 9. c. 10. c. 11. c. 12. c. 13. c. 14. c. 15. c. 16. c. 17. c. 18. c. 19. c. 20. c. 21. c. 22. c. 23. c. 24. c. 25. c. 26. c. 27. c. 28. c. 29. c. 30. c. 31. c. 32. c. 33. c. 34. c. 35. c. 36. c. 37. c. 38. c. 39. c. 40. c. 41. c. 42. c. 43. c. 44. c. 45. c. 46. c. 47. c. 48. c. 49. c. 50. c. 51. c. 52. c. 53. c. 54. c. 55. c. 56. c. 57. c. 58. c. 59. c. 60. c. 61. c. 62. c. 63. c. 64. c. 65. c. 66. c. 67. c. 68. c. 69. c. 70. c. 71. c. 72. c. 73. c. 74. c. 75. c. 76. c. 77. c. 78. c. 79. c. 80. c. 81. c. 82. c. 83. c. 84. c. 85. c. 86. c. 87. c. 88. c. 89. c. 90. c. 91. c. 92. c. 93. c. 94. c. 95. c. 96. c. 97. c. 98. c. 99. c. 100.